



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

**Gretser, Jacob
[München], 1613**

Embolum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

triarcha, ad nomen prædecessoris nostri Domni Paulæ Papæ, in quo & reliqui Patriarchæ, id est, Alexandrinus & Antiochenus & plurimi Metropolitanæ Episcopi orientalium partium, visi sunt concordasse, eamque cum magna læticia suscipientes, atque amplectentes in populo in ambone relegi fecimus, cuius exemplar in Latino & Græco eloquio vestræ excellentiæ direximus, ut agnoscat, qualis feruor sanctarum imaginum orientalibus in partibus cunctis Christianis imminet.

His prælibatis, extensis palmis ad æthera, cum omnibus Dei cultoribus, & cuncto nostro populo redemptoris nostri diuinam exoramus clementiam, ut suæ extensionis dextera vos protegat, & regni vestri à Deo confortati Francorum terminos dilatet, atque immensas de hostibus victorias vobis tribuat, cunctosque aduersarios regalibus vestris prosternat vestigiis regni; gubernacula, longo ac prospero senio vobis, vna cum excellentissima filia nostra, à Deo protecta regina, & amantissimis natis perfrui concedat possidenda, & sicut temporale ac terrenum regnum, & cælestia vobis regna cum omnibus sanctis, qui ab initio mundi, diuinæ placuerunt maiestati, tribuat possidenda. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Embolum.

ITAQUE hoc excellentiam vestram petimus, ut iubeas, Christianissime ac mitissime Rex, inspiratus à Deo, ad nos absoluerè reuertendum sanctissimū fratrem nostrum, Georgium Episcopum, atque dilectos filios nostros Marinum & Petrum presbyteros, qui ad vestram præcellentiam à nostro prædecessore Domino

y

Paulo

Paulo Papa directi sunt; cotidie enim cum magno ploratu eorum parentes nos adeunt, vt vestram à Deo institutam Excellentiam deprecari debeamus pro eorum absolutione, etiam non possumus eorum lacrymas sufferre. Perte enim, bone misericordissime Rex salui effecti sunt, & à manibus persequentis liberati consistunt. Vnde magna in cœlo vobis reposita est mercedis corona, quoniam scriptum est; *qui saluat, tanquam qui adificat.* Propterea coram Deo viuo deprecamur, vt in hoc preces nostras exaudias, & ipsos absoluere iubeatis. Ipsis enim reuertentibus cum magna lætitia eos suscipiemus, & charos in nostris visceribus amplecti studebimus; Episcopatum enim & Ecclesias, quas tenere videbantur, inordinatæ vsq; hæcenus consistunt, pro quo iubeat Excellentia vestra disponere, quatenus præfati viri ad terram natiuitatis eorum reuertantur, quia adest tempus vt pariter cum suis parentibus, & vna nobiscum in Domino exultent; nosq; merito pro vita & incolunitate vestra fundere valeamus preces.



LECTO.